

Johann Jacob Döbel Johannes Praetorius

Hippocratis & Helmontii Super Catarrhorum Generatione, Conciliatio

Rotschii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730124622>

Druck Freier  Zugang



R. U. med. 1673

Johann Jacob Döbel, Procer.

Johannes Prætorius, Resp.



74

& HELMONTII.
RUM GENERATIONE,
LIATIO,

SIONE
HI FERINI,
QUE MILITE PROPULSI,
OQUE
S INAUGURALIS,
MEMO NUMINE,
MÆ FACULTATIS MEDICÆ,
RATORE
RO

TISSIMO, EXPERIENTISSIMO
JACOBO
ELIO,

PRO, ET FACULTATIS
in Spectabili Decano,
TRONO, FAUTORE,
suo Devenerando,
DOCTORATUS,
à Privilegiis consequendis,
IM EXAMINI PROPOSITI,
exhibita,

d
PRÆTORIO,
A WESTPHALO,
prio Majori.

horis ante & Pomeridianis.

ANNIS KILII, Universit. Typogr 1673.

66



74

HIPPOCRATIS & HELMONTII
 SUPER CATARRHORUM GENERATIONE,
CONCILIATIO,
 OCCASIONE
 CATARRHI FERINI,
 A STRENUO NOBILIQUE MILITE PROPULSI,
 LOCOQUE
 DISPUTATIONIS INAUGURALIS,
 AUSPICE SUPREMO NUMINE,
 AUTORITATE AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
 MODERATORE
VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
DN. JOH. JACOBO
DÖBELIO,

MED. D. P. P. POLIATRO, ET FACULTATIS
 Suae ad Hunc actum Spectabili Decano,
 DN. DOCTORE, PATRONO, FAUTORE,
 Atque Hospite Suo Devenerando,
PRO GRADU DOCTORATUS,
 Summisque in Medicinâ Privilegiis consequendis,
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI PROPOSITI,
 simul exhibita,

^a
JOHANNÆ PRÆTORIO,
 FURSTENOVIA WESTPHALO,
 In Auditorio Majori.

Ad diem 16. Decembr. Horis ante & Pomeridianis.

ROTSOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr 1673.

66



DEO *Juvante!*
CASUS.



Trenuus & Nobilis Miles, Dominus
CONRADUS WEGMAN, anno-
rum circiter quadraginta octo, sanis, ut
fert, Parentibus in Westphalia oriundus,
Temperamenti sanguinei, Habitus firmi,
Staturæ mediocris, vegetarum Viriū, à puero ferè Mar-
tis pullus, varios Casus Martios, variaque discrimina pas-
sus, modo, per annos aliquot, pacato in Conjugio, lau-
tior aliquantò solito vivens &, Coronæburgensi in Arce,
Centurionem agens, ad pocula, invitantibus urgentibus-
que amicis, (quorum abesse desiderijs incivile hodie,)
nonnunquam respondens, confectis bellicis sibi que or-
dinarijs negotijs, calefactus, Caput pro more apertum
habet, somnoque indulget breviori pomeridiano. Hic,
Mense Martio, currentis anni, incidit in Tussim, cum
Raucedine quapiam, ferè assiduam, ferinam, siccam,
crudam, valde molestant, Appetitu prostratò, sitique
immodicâ comitatam. Urina principio haud longè
à naturali recedens, post tenuis & subrubra obser-
vabatur, cum exiguo, similisque coloris sedimento,
Sudor nocturnus multus. Alvus tardior & siccior.
Pulsus primò, magnus; post, celer & inæqualis. Horror
levis, quasi febrilis, per intervalla. Sincipitis & interiorum
etiam sinistri lateris Partium aliqualis, somnum tamen
minùs interrumpens dolor. Facies semper, ad rubedinem
vergens. Caput cum Fronte, immodicè calens. Hoc mali
domesticâ sibi que olim probatâ Medicinâ nequicquam
propulsare conatus, indies incrementum sensit Morbi,
haud periculo vacans. Annuet tamen Altissimo, tan-
dem revaluit meâ Curâ, quam post Affectus Resolutio-
nem his brevibus trado,

Resolutionis Summarium.

Catarrhus tractatur

1. Generaliter, quoad

- 1. Existentiam §. 2. 3.
- 2. Refutatur. 6. 7.
- 3. Autoritate defenditur. 8.
- 4. Autoritate pratensâ explicatâ, annullatur. 9.

2. Essentiam: sub qua Catarrhorum explicatur Doctrina

- 1. Hippocratica: exhibens, occasione discursus, ejus
- 2. Terminum ad quem in genere: Cujus Occasione Hippocrates explicatur. 11.
- 3. Materiam, Etymologiam, Homonymiam. 12.
- 4. Synonymiam & Definitionem. 13.
- 5. Terminum à quo & ad quem in specie. 14.
- 6. Fluendi Modum, tam ex Seessione, quam quantitate superflua nati. 16.

2. Helmontiana, cuius cû Hippocrate monstratur cõsensus quoad

- 1. Secessionem Humoris. 17. 18.
- 2. Humorem ipsum quantitate peccantem. §. 19.
- 3. Terminos fluxûs, quorum occasione Latex, Gas, & Blas conferuntur, cum Principiis Hippocraticis, Aristotelicis, Cartesianis. 20.
- 4. Morborum Catalogû, ex Catarrho deducibilem. ubi simul explicantur πνεύμα & ψῦμα. 21. 22. 23.

Specialiter, in hoc Subjecto proposito: quoad

- 1. Calorem sibi junctum. §. 24. 25. 26.
- 2. Antecedentia & Comitantia in Genere 27.
- 3. Antecedentia in specie
- 4. Co-mitãtia in specie
- 5. Prognostica
- 6. Curat ionis

- 1. Somnum & Intemperantiam 28.
- 2. Refrigeriû post Incalescentiã §. 29.
- 1. Horrorem, Calorem 31.
- 2. Cephalalgiam, Lateris dolorem, Tussim; 32.
- 3. Sudorem Nocturnum, Alvi siccitatẽ 33.
- 4. Urinæ tenuitatem & Sedimentum 34.
- 35. 36.
- 1. Initium 37. 38.
- 2. Medium. 39. 40. 41.
- 3. Finem. 42. 43.

I.
ET Affectum quidem ipsum quod attinet, siue Causam Symptomatum proximam: si Catarrhum vocitare calidum velis; non repugno.

II.
Neque tamen ex hoc Helmontio indixero bellum, Catarrhorum doctrinæ Communi adèd hætenùs infenso, ut Tr. d. Catarrhorum deliramentis, eam Scholarum somnia, execrandam Medicinæ Hæresin, in Reipublicæ & Familiarum perniciem conspirantem, falsasque merces, nemini, deductâ credulitatis larvâ, quocumque etiam pretio emendas, tandem concludat: mirari que satis nequeat, quod in re tam stolidâ, futili, penitusque impossibili, tantum mortales credulitatis posuerint, unam tantum ob Culpam, Ignorantiam; quæ somnia hæc de Catarrhis credi mandavit, cum non repererit causam, cui catalogum adscriberet Morborum. Vid. c. l. S. 18. 24.

III.
Quæ quidem tantum, haud paucis, & Magni quidem nominis Viris scrupulum movere; ut in diversas partes, Catarrhorum possibilitatem vel adstructuri, vel destructuri abierint. Sed salva res est: Differunt Catarrhorum Doctrina recepta, & Catarrhi ipsi.

IV.
Summam Doctrinæ, à diebus Galeni ad sua tempora receptæ, in eo Helmontius C. l. S. 14. & 15. fuisse refert: Quod, cum Stomachus incessanter ab Hepate, intemperie calidâ laborante, calefactus, non possit non jugiter vapores ad Caput mittere, Cerebrum verò, natura frigidum, ventriculo, instar Operculi vel Alembici, bullienti vasi superpositum sit; vapores ascendant, inque aquam cogantur, & hæc, necessariò naturaliter defluens, amplam, suggerat Catarrhis materiam, adeoque generalem, ut, si in Oculos, Aures, Fauces, Dentes &c. decidat; doleant meritò partes, se Cerebrum vicinum habere, & tyrannum superiorem: si verò in Pulmonem pluat: Tussim causetur, Affectus suspiriosos, Tabem, Cordis palpitationem, Mortem denique inopinam. Quod si verò in Stomachum regurgitet; jam suæ culpe is pœnas luat, per Apepsiam, Cruditates, Vomitus, Orexes, Cardialgias, Deliquia, Obstructiones, Diarrhœas, Cœliacas, Choleras, Colicas, Atrophias, Hydropes, Scribhos, ventrisque defectus omnes, imò Febres, Putredines invenis: Splenis quoque, Renum atque vesicæ calculi

calculi, è Catarrhi mucò sua primordia desumunt. At, si in Cerebelli sinum deriveretur; jam Mors instantanea Apoplexia, & Paralysis præfò sint. Si verò per Nucham in Nervos, Arterias, Musculos, foret fortuna divertat; Arthritides varie, Pleuritides, Paralytes partium ac Convulsiones adsint, item Chirurgici defectus Tumorum, Ulcerum. Si tandem non decidat, sed suo se Cerebrum onere levet, per Coryzas & Tusses; Sopor, Coma, Catachus, Lethargus, Vertigo, Apoplexia, Memoriae, sensuumque jactura oriantur.

V.

Utut verò haud promiscue omnes ante Helmontium de Catarrhis idem senserint, quo nomine immerito vapulant omnes; à propositis tamen haud abire communem Doctorum opinionem, satis patebit superque, Sennerti Practicam inspicienti. Expresse ille l. 3. part. 1. §. 1. c. 5. *Nimia, inquit, Epatis caliditate caliditatis native Subjectum in ventriculo dissipari & absumi. Atque ideo accidere, ut, qui jecur habent calidius & intemperatum, plerumque habeant ant ventriculum frigidiorum, & debilius coquant.* Et l. 1. part. 2. c. 34. *sciendum, inquit, est, Cerebrum veluti tectum fumosa domui impositum, assidue excipere Halitus & vapores, ex imis sursum elevatos, tum per patentes vias venarum, arteriarum Ventriculi, Gulae, &c. Quibus paulò post, Catarrhi Causas tractans, subjungit: ad hasce scilicet causas, etiam pertinere Cibos, à quibus multi vapores ad Caput accolluntur, & difficulter coquantur, & ob quos ventriculus non clauditur.* Item circa Prognostica, ubi de vijs, quibus materia terminum ad quem appellit: *magis periculosum pronuntiat Catarrhum, qui per Tracheam & Oesophagum discurrit.*

VI.

Sed, cum non tantum Humiditas Ventriculi, pariter & Capitis, Extinctionem; verum etiam Hepar temperie suae indicet restitutionem; idcirco est, quod ventriculi quidem Humiditati, utut ea ex Sententia Sennerti ab Epatis calore jam absumatur, quo ille claudatur promptius, promptius in se contrahatur, minusque vaporum ad cerebrum transmittat, ex Cratonis Consilio III. p. m. 18. Thus & Mastichen præscribant: Caput verò candenti ferramento vid. Aëtius, Tetrab. 2. Sermon. 4. c. 57. & Sermon. 4. c. 28. Fuchsius 2. d. Med. Morb. c. 7. Pasch. VII. Medend. Morb. c. 25. Amatus II. Centur. I. Zaeutlib. 1. Histor. 20. Comment. Alex. ab Alex. II. 25. inurant. Veruntamen, cum naturale frigus Stomachi contradicat calori hepatis, adeoque; quae
stoma-

Stomacho profutura essent medicamenta calida, (Contraria quippe, secundum vulgatum, contrariis curantur.) Jecori noceant, & è con- verso: infallibiliter nunquam de Manu Medici dimittentur ægroti; sed in Clientes perpetuo detinebuntur, velut acquisita Mancipia, sub desperatione tamen manifestâ.

VII.

Posito itaque, (1.) quod Ventriculus non possit esse frigidus & Hepar calidum, vel ipso Cratone, contra Citatum suum Consilium III. Consilio CXXV. hoc statuente: ubi Ventriculi frigiditatem & Epatis caliditatem, velut morborum Causas, *Ignorantia Medica* Refugium appellat, ad quem *conf: Primeros. d. Erroribus l. 2. c. 12. Helm. c. l. S. 27. 28. 29.* (2.) Quod Cerebrum non sit actu frigidum; & si vel frigidum esset, tamen Calidum ad Catarrhos æque facile sit; *vid. Sennert. c. l. libr. 3. c. 3. 4. S. 2.* (3.) Quod, stante doctrinâ vulgari, sanus Calidus, que Stomachus gravioribus frequentioribusque Catarrhis generandis aptior foret, ægro frigidiori, hinc omnes mortalium continuo Catarrhosi atque infirmi essent; (4.) Quod, post assumptum Cibum Ventriculus claudatur: hinc, si vel maximè ab eodem vapor excitatus gulam distenderet, imò (5.) citra ructum ascenderet, totus ille tamen per Os, Naresque diffilaretur, antequam per Os basilare arctamque & conclusam Menyngum viam & Cerebrum pergat: (6.) Quod vapor ille, à cibo per Stomachum ascendens, necessariò quoque in quolibet homine Cibos, horumque transmutationes oleret, sibi que & adstantibus molestus foret: adeò, ut si ructus subinde sint olidi, continenter quoque omnis omnium Anhelitus, admisso ciborum flatu, foeteret. (7.) Quòd, ipsi Ructus, longè Vapore impetuosiores, nunquam per gulam ad Cerebrum deferantur, neque, nisi Ore clauso, vel per Nares efferantur, & tum demum odorem præbeant, nunquam ad Caput delati: proin, si (8.) vapor, Catarrhi materia, aliquatenus ad Caput ascenderet; id tamen non præstet, nisi clauso Ore, ideoque Hianti (9.) facile sit Catarrhi remedium: (10.) Quod duo corpora naturaliter se mutuo penetrare nequeant in eodem loco, sitque (11.) via è faucibus ad Cerebrum angusta, oppleta, superius clausa, nec pervia, ut nec anhelitus, utut compressus, exspiret sursum ad Caput, haud magis, ac Canna superius stipata vapores Calidos, quibus superposita, transmittit; Quod (12.) Vapor is, si posset sursum scandere, non offendant tamen planum aut concavum, super quo concrecat in guttas.

guttas, multoq; minus ejusmodi, quod Alembicum aut Ollæ operculū referat: cnm (13.) in basi Cerebri, Pelvis sive Infundibuli fundus sit pars angusta, continuo ferè mucō oppleta, madensque, Menyngibus subducta. (14.) Quod vapor, si quis è Stomacho, possibiliter factus, etiam eo usque ascendisset, imò & in guttas concrevisset, tam exili spatio, quo simul cnm mucō decideret, minùs noxæ adferret, quã ipse mucus: (15.) Quod Caput continuo doleret, quibus Mephitim Ventriculus indefinenter exhalat, cum doleat sæpe ex odore Rosæ; Meritò cum Helmontio proposita de Catarrhis negatur Doctrina.

VIII.

Haud desunt tamen & apud Hippocratem, quibus probari receptum dogma videri possit. i. Morbor. XI. 42. 43. *In Suppuratioibus superioris ventris, fluxum, inquit, maximè exhibet Caput, utpote quod cavum est, & superne situm. Quando enim ab alvo fuerit calefactum; tenuissimam pituitam de Corpore in se ipsum trahit.* II. de Morb. XVII. 6. asserit, quod quantum cibo aut potui Pituita inest, ubi ad Ventriculum pervenit, partim Corpus, partim Caput, *quod cavum est, & velus Cucurbita Corpori incumbit*, ad se trahat: utpote viscosa existente pituita; Ita, ut hanc alia per aliam sequatur ad Caput &, quæ quidem recens ex cibo generatur, Pituita in Capite maneat, vetus autem, prout copiosior est recens, ab ipsa violenter extrudatur. Eodem loco VII. 13. se demonstrasse fatetur, *quomodo Caput pituitam ex Ventriculo trahat.* L. d. glandulis v. 4. *Caput supra esse situm, repetit, sursum cavum ac rotundum existens, & humiditatem ex reliquo Corpore complectens, Corpusque simul vapores omnis generis sursum in Caput dimittere, subjungit, quos Caput rursus retro in glandulas dimittat.* Ut locum de Sanitate tuenda ad Demetrium 14. brevitatis studio omittam,

IX.

Quisquis tamen, ex hisce Præceptoris effatis, immediatum Vaporum ex Ventriculo in Cerebrum adscensum probaverit; haud aberit, quin eundem per Uteri, Diaphragmatis, & Ventriculi Corpus probet; cum cæteroquin sola Coli Valvula excernendorum ascensui foetori- que obsit. Apertus est Aphorismus LIX. Sect. V. *Si mulier in Ventre non concipit, velis autem scire, an Conceptura sit; vestimentis circum rellam ex infernis suffito. Et siquidem odor per Corpus tibi procedere videatur ad Nares & Os; scito, quod ipsa non propter se ipsam infecunda*

cunda sit. Scilicet, prout in Muliere, non Viri, sed sua culpâ non concipiente, elatus odor ad Os & Nares indicio est, neque Corporis neque Uteri Cacochymi; qui, aliàs, si cacochymus & obstructus fuerit, Obstructione aut Cacochymia prohibet, quo minus Odor ad Os atque Nares pervadat; ita firmius longe prohibebunt vaporum è Ventriculo in Cerebrum adscensum, Ossa Cranij basilaria, Occipitis puta & Cuneiforme, crassa pariter ac densa, quâque pervia sunt, Vasis Membranisque occupata.

X.

Si itaque viam adæquatam, de hac enim maxima inter Authores ideoque prima nobis controversia est, qua ex Utero partim in Os vapor in exploranda Sterilitate, partim ex Ventriculo ad Cerebrum in Catarrho Hippocrati vapores ascendunt, quaras; vasa omnis generis apponemus. Quâ uterum quidem, in priori casu, Venas pariter & Vasa lymphatica, quoad cum Sanguine & Spiritu, quicquid in super receperunt extranei, Cordi communicent: Arterias verò Nervosque, quoad receptum Ore præprimis Naribusque reddant. In posteriori, Catarrhum respiciente, qua Ventriculorum, Chyli vasa, quibus & Assumptorum humiditates, & Crudorum vapores, & Recrementorum exhalationes, & Corruptorum impuritates, rerumque Tincturæ, ventrem ingressæ, & in Cor ingeruntur &, accedentibus modò de Utero memoratis canalibus, per universum Corpus, consequenter Caput distribuuntur. Exemplo sit Cephalalgia, uno sæpe Enemate solubili, à Coprostasia orta.

XI.

Et ne in Caput tantum materiam catarrhosam ascendere opineris; Lassitudo partim, sub principio; partim Sudor, sub fine Catarrhi Catarrhorum plerorumque occupans corpus; partim allegatus modo, expressamque reliqui Corporis mentionem faciens locus *II. Morbor. XVII.* evincunt. Pro uberiori hujus explicatione notes: (1.) Universum hunc textum ad vulgi captum directum. (2.) Caput heic esse non tantum, quod Cerebrum habet, quodque tegi capillitio solet; quo sensu sumitur; *de arte XVII. 16.* sed Totum, quod est supra Collum. (3.) Caput hoc assimilari Cucurbitæ, non *Hortensæ eduli*, quæ nullum cum eo ad hoc Officii analogiam habet; nec *Destillatoria*, quod hæc actualem, ad faciliorem vaporum subtus ascendentium condensationem, frigiditatem præsupponat; Cerebrum contra actu

actum non sit frigidum, Catarrhi etiã calido æq; ac frigido Cerebro sint communes. Conf. *Sennert. c. l.* ex neutro tamen propriè qui destillet; *sed Chirurgica*, ob cavitatem, quã trahi dicitur, quicquid aëris, igne attenuati atque aliquatenus dissipati, locum supplet. Conf. *d. vet. med. XXXIX.* Consequenter (4.) Cavo ejus venire, non, quod omni in concreto, & quod non coaluit, cavum commune est; quo de, de *Arte XV II. §. 18.* sed, quod Ventriculos cerebri dictos facit; tum, quod inter Cranium & Menyngem duram, pariter atque hanc inter & tenuem, Spatium est: Totum denique Oris interni cavum, Glandulis pene innumeris, Membranisque spongiosis, utrobique humorem salivolum affluentem imbibentibus, vocisque organa irrigantibus, cinctum. (5.) Tractionem hujus cavi esse non Magneticam, aut Mechanicam; sed occasionem saltim, quã & copiosius mittuntur, & missi retinentur humores, semperque alij adjiciuntur retentis. Unde, curatius, neque cum vulgo loquens Præceptor, *de Gland V.* Vapores ad Caput mitti, fatetur. (6.) Pituitam denique esse crudum Sanguinis, seu cremorem Chili recentem, per chiliferos, ductumque thoracicum, in Cavam delatum, Sanguinique permixtum.

XII.

Et ne huic soli Catarrhorum materiam adscribas; locus est citatus de glandulis, omnis generis vapores, in Caput missos, incusans. Equidem, haud est Catarrhi, velur consequentis ἀνάπνοιας & , quoad Etymon Κατὰ πῆν, considerati; materiam mittere in Caput: bene tamen est, generaliter pro quovis Rheumate, & ἀνάπνοιας & Κατὰ πῆν includente, sumpti. Locus, exempli loco, sit *de vet. Med. XXXI.*

XIII.

Sed, quicquid tandem horum sit, sive excitato loco, ad quem confer *Gal VII. sec. loc. 4. & 8.* Rheumatis; sive, cum Celso, *II. 1. p. m. 45. l. 24.* Destillationis; sive cum Cœlio, *II. Chron 7.* Influxionis; sive cum alijs, ut, in versione *Lindeni III. aph. 12.* Defluxionis vox magis arriserit; perinde est: modo constat, quod Catarrhus sit Rheumatismus in Partem vel extra Corpus. Rheumatismum dicimus, qui fluor est cujusvis, sanguine excepto, humoris, præter naturam loco moti & fluentis. Excipitur Sanguis, tanquam totum, constans Chymo & recrementis Chymi, vid. Meletem. *Physiol. L.* quod ejus extra corpus Effluxus, Hæmorrhagiæ; in partem Influxus Impetuosior, Exormentis

ve

vel Anormesis habeat nomen. Reliquus humor est, cum Vapor concretus, inque humorem versus; tum, quod aliàs Recrementum dici Chymi, alijsque communi Humoris venire nomine solet, Serum; ut & Pituita, Lympha, Bilis, Melancholia, serò diluta. Omnium fluor est ipse actus fluendi, sive fluxio dicta. Fluunt Rheumaticè, præter naturam loco moti. Moventur præter naturaliter; vel *quantitate*, & cruditate sua circa angusta loca hærentes, v. *Text. d. gland. VII.* unde Crudi & Bibones communiter catarrhosi; vel *qualitate*, secedendo à Sanguine, vitamque quasi, quâ cum sanguine communi gaudebant, deponendo, eaque propter à Natura, nisi sint extravasati, emovendi. Fluunt præter naturam: dicto modo vel hærentes vel ad huc fluentes. Illi, ex parte à fluxione cessando: Hi, post Secessionem, Sanguinem turbantes, cum sanguine quidem sursum deorsum ad tempus; sed citra, haud intra eum ducti, donec, semoto, quod secessit, suæ restitatur puritati. Motum hunc, uti *ἀνωγίσεως*; ita Fluxum *ἀνωσώσεως* nomine cum satis Hippocrates superque inter alia *d. vet. Med. XXIV. 30. XXV. & Morb. XXV.* expresserit; ad quæ conf. Meletematum à Disputationis hujus Domino Præside contractorum & illustratorum *Pathologiam §. XXIII. XXIV.* Neutrius ulteriori immoramur explicationi.

XIV.

Locus sive terminus, à quo Humores moveantur, ubi Caput Præceptorum statuitur; de *Princip. de Glandulis XVIII. d. loc. in hom. Sc.* intelligendus est de motione, in oculis, auribus, naribus, faucibus, arteria, aliòve loco proximo terminanda; Imò, in genere de Mandatario, non Mandante; de Communissimo, non Perpetuo &, quoad Capitis fluxiones dictas, de Proximo, non Primo loco; cum ex ante dictis & Fluxiones, mediantibus vasis, extra Caput ferantur, *l. de glandulis c. l. 6.* omniumque locus primus, modo hæc modo illa Pars sit, in qua secessio Sanguinis facta. Locus in quem, nisi sit extra Corpus, nulla non esse Pars corporis potest. Quæ varietas cum Humorum præter Naturam influentium, tum Partium, fluxum recipientium, aliud atque aliud Morbis, ex solo licet Rheumate dependentibus, Nomen dedit. Confer. *d. loc. in Hom. XV. ad XXXV. d. gland. IX. X.* Adeo, ut, cum omnes penè vulgò Catarrhis adscribantur; nullus tamen vocis ejus determinetur. Neque etiam communissimè Fluxum recipientium

tum Partium, Nariū, Faucium, Arteriæ asperæ Influxio, Catarrhi tantū in genere; sed, quæ ad Nares stagnat, Græcorum quibusdā Κορύζης, Latinis Gravedinis; quæ ad Laryngem, Græcis Βράγχη, Latinis Raucitatis: quæ ad Pulmonem, Nonnullis Græcorum Βήχης, Latinis Tussis nomine definitur. Confer Philotheum ad III. aph. 13. Gerardus de Solo, teste Arculano:

Dum fluit ad Pectus; dicatur Rheuma Catarrhus:
Ad Fauces; Branchus: ad Nares; dico Coryzam.

XV.

Sed cum Influxionis fecerimus Mentionem; quæ ras facile, Eāne, an Destillatione Catarrhi absolvantur? Respondemus: Fluxionem esse, non Destillationem, quā Humores, sive Seccessione factā, sive citra Seccessionem, in Partes per vasa feruntur. Sed nec Destillationem propriè; verum potius Desudationem, aut, si magis Transudationem, quā huc illucve delati, glandulis, membranisque tenuibus & spongiosis, quibus immaturi stagnabant, maturati efferuntur. Membranz sunt, in Coryza: Pituitaria anterior, Narium interiora & Septum cingens. In Raucitate & Tussi: Pituitaria posterior, Linguz, Laryngis, Gulæ. Glandulæ sunt, præter Innominatas, Tonsillæ Salivales, Sublinguales, Gurgulio. In aliis Catarrhi Speciebus: Glandulæ, si quæ sunt, Tunicæque cuique Parti propriæ, ipsa denique Cutis. Desudationis modum Simili illustret Aqua, ollam non vitreatam ætate penetrans; vel chylus, transiens tunicas Intestinorum, rationem ad hoc Officij & Spongiæ & Cribri habentes. Nec obstat iterum Hippocrates, de Glandulis V. ubi dicit: Caput vapores admissos retrò, & quidem in glandulas subjacentes mittere. (Textus adductus est, §. VIII.) Prout enim aliud est in Glandulas mitti, aliud ex Glandulis aliò dimitti; Ita etiam aliter in glandulas mittitur, aliter iis emittitur Humor. Præterea locum hunc, notes, loqui, non de fluxu Rheumatico; sed Naturali Circulari. Patet hoc: quòd, ubi Rheumatica est fluxio, Status morbosus sit; Textus autem fluxionem hanc Status esse naturalis dicat. Expressa verba sunt: §. 6. 7. Caput vapores rursus retrò dimittit Non enim immorari ac manere potest id, quod influit, non habens ubi sedem firmet, nisi sanè Caput egrotet. Tum enim non remittit, sed istic restinet. Postquam verò attractionem remiserit, in glandulas fluxio vergit, Ex-
emple

emplo sunt, quibus tonsillarum intumescencia' Achores, Favos, Tineam &c. minatur. Sed hanc in glandulas fluxionem, ne iudices Præceptorum fuisse ex Capite per tunicas, aut pluvie modo immeditam; ecce locum de Gland. VIII. 3. ubi recensentur Fluxiones, quæ per vasa in Medullam Spinalem & Sangvinem, consequenter Glandulas feruntur. Obiter hinc ratio etiam pateat: quare,

Qui nimium emungunt Nares, pro Phlegmate guttas⁷
Sollicitante manu, Sanguinis eliciant.

XVI.

Cum Vapore, in cavitatibus Menyngis Cerebrique dictis, accessu subiti frigoris concreto, aliter se res habet, ille enim gravitate sua descendens, ex ventriculis, Cerebri quidem, per Infundibulum dictum, ad glandulam pituitariam: ex Menyngum cavo autem, immediate ad os cribriforme hæret, donec ibi quidem, prope vasa in Oris; heic verò, prope Menyngem externam, Nervos olfactorios ducentem, in Nasicavum feratur. Quod si Menyngis ad Os dictum obijciatur non perforata; Vid. Schneiderum d. Ofs. cribr. p. 9. 13. sciendum: non esse quæstionem, utrum circa Os cribriforme; sed utrum neque circa Os dictum, neque ad Narium tunicam sit perforata? Prius verò, quemadmodum negantibus facile concedimus; Investituræ siquidem Nervi Musculum ingredientis Menyngis inservit; Ita posterius negaverit nemo, qui noverit, Nervum quemlibet suo musculo inferi nudum, Menyngis, quæ vestiebatur, toti Musculo circumtensâ. vid. Melet. Physiol. XLI. Quocumque autem modo ad peripheriam cavi feratur Humor, tamdiù eï cohæret; donec, quantitate vel qualitate molestus, Sternutatione, Emunitione, Screatione, Tussitione, Vomitione, simplici denique Spuitione, pro influxus sui partiumque conditione, excernatur.

XVII.

Ab hisce verò omnibus, videamus, quantum Helmontius ab hisce Seccessionem memoratam quod attinet, non admittit eam tantum; verum velur frivole neglectam Tr. de Ignoto Hospite §. 80. & de Peste p. m. 854. omnibus modis inculcat. Priorem locum, aliquanto prolixiorem, ob pagellarum nobis observandarum angustiam, transscribere supersedemus. Posteriori, Pestis Materiam Coniunctam negat aliquod esse Corpus solidum, vel liquorem visibilem, hincque conspicuam aliquam Putredinem; sed solum esse Gas Separatum

affirmat, ac *Degeneratum*; ab Archei substantia. Neque vero Anthracem, Bubonem, aut Escharem esse materiam primitivam pestis; sed Effectum ac productum, quod sibi Pestis paravit, quæ pro atrocitate suâ & velocitate, simul atque in Archeum est introducta, nequit, quin de humore alimentario partem aliquam subiciat suæ tyrannidi, habitetque eâ.

XVIII.

Vides hic Gas, sive Materiam, Naturæ hæctenus familiarem, separatam; vides degeneratam. Et quid aliud per Apocrisin intelligit Hippocrates, quam Seccessionem, sive separationem conglutinati? per Apostasin; quam Abscessionem sive Degenerationem Deglutinati? sive intus id diffuat aut confluat, sive effluat foras.

XIX.

Sed cum non Seccessione tantum; verum solâ crudi, quod in Sanguine est, quantitate, ad angustias vasorum hærente, Catarrhos generari §. XVI. innuerimus; ecce iterum Helmontium. Tract. d. Laticæ §. 37. Quod si, inquit ille, *Latex abundet, nec à pelle alliciatur, quia aliena labe est inquinatus, ad partes decumbit, & indolentes tumores excitat: si non etiam qualitate sit molestus. Solus enim restagnans latex, ut habet §. 42. Venas gravat Oppressione.*

XX.

Ne Te vox Laticis offendant, velut diversum quid à Gas modò memorato; pro cuiusvis explicatione meliori sciendum est: (1.) Duobus hæc, *Gas* & *Blas* universam Meteoris Rempublicâ Helmontio absolvi, cum in Microcosmo, *vid. Ejus. Gas aquæ §. 22.* tum in Macrocosmo, Analogiâ saltim posita inter Illius Viscera, Hujusque Stellarum. *Conf. Blas human. §. 5.* Hæc differentiâ, ut *Blas* sit causa Effectrix; *Gas*, Materialis, omnis Meteoris: *vid. Gas Aquæ §. 27.* quarum illa, in Macrocosmo, sit ipse Stellarum motus sive influxus in hæc inferiora, determinato modo agens, effluviaque excitans; *ibid. §. 25.* in Microcosmo motus, Stellarum motui analogus. *vid. Blas: human §. 5.* Hæc: Vapor, si Gustum spectes; variè salus; *ibid. §. 12.* si alias Affectiones; Ventosus, Sulphureus, Pinguis, Siccus, Sublimatus, Fuliginosus, Endemicus & Sylvestris. *de flatibus §. 4.* (2.) Laticem ipse esse Aquosum Sanguinis, ad aciditatem cruroris temperandam, ac salinum ejus excrementitium abluendum educendumq; hocque sine, ad materiam subministrandum

non

non Salivæ tantum, Lachrymis, Sudori; sed & tenui Muco, Oedemati;
 alijsque, ex Sanguinis Recrementis dependentibus, consequenter etiam,
 Catarrhosis morbis. *Vid. Ejus Laticem neglectum* §. 2. 11. 12. 13. 42.
 (3.) Hunc itaque Laticem non esse, nisi Materiam Morborum Ma-
 teriaturæ proximam, supra quidem generali voce Gas expressam,
 motuque Archei sive Naturæ determinato, (quem Blas ipsi esse vidi-
 mus,) dispositam, ut sit, quod est. (4.) Hæc Nomina quidem quasi
 noviter introducta videri, quod vis illorum atque energia ignota
 fuerit Scholæ Galenicæ, ad quatuor qualitates primas, Hippocrati, de
 veteri Medicinâ, jam tot retrò seculis refutatas, releganti. Quod si ta-
 men ritè rem perspexeris, nihil potius intererit, quàm nonnihil (1.) inter
 Laticem & Serum, partim seorsim, partim cum Sanguinis crudo con-
 sideratum. (2.) Inter dictum Gas Blas, & Cartesij Motum & Mate-
 riam, Aristotelis Materiam & Formam, Hippocratis Ignem &
 Aquam. Prout, enim Forma non format absque motu; ita Motus
 non est sine Igne, determinatum movendi modum sive Blas à Na-
 tura habente. Porro, uti omnis Motus præsupponit Materiam mo-
 vendam; ita hæc Materia, quæ Formæ dat subsistentiam, eadem est, quæ
 Gas in Genere, in Specie Latex, aut Aqua, Hippocraticè intellecta.
 Ut vel in hoc, sub tot Nominum, Huic illi introductorum varietate,
 Identitatem videas rei. Sed & de loco ad quem, nullum esse inter Hip-
 pocratem & Helmontium dissensum, patet. Quod Huic glandulæ
 sint ad Emunctionem Laticis è venis expresse destinatæ, in quibus si
 dictus Latex stagnet, inter alia Catarrhi etiam nobis dicti generentur.
 Conf. ejus Laticem neglectum. §. 41. 42.

XXXI.

Sed de Catalogo, quæ res, Morborum refutato, quid sit futurum?
 Respondemus: non esse Catalogum ipsum, sed modum refutato,
 Catalogum texendi; quo Vapores, maxime ob Hepatis Caliditatem,
 & Ventriculi Cerebrique frigiditatem, (Simili à Cucurbita Pharma-
 ceutica & Destillatione desumpto,) ex Ventriculo per Gulam in Ce-
 rebrum crediti sunt ascendere. Catalogum ipsum quod attinet, repe-
 tendum est: Omnis Meteorum Morbosi Generationem ex Blas & Gas:
 aut, si mavis, Motu & Materia, vel Igne & Aqua, ut §. XIX. XX. visum,
 Helmontio venire deducendam. Ad quæ, lucis majoris gratia, obiter
 memineris veteris illius Doctrinæ, quæ nullus non Morbus ad
 πνεῦμα αἰετῆς referrebat. Equidem novimus, voce πνεῦμα
 Flatus,

Flatus; *πνεύμα* Interpretibus intelligi Fluxiones, & sic omnem morbum vel ad Flatum vel ad Humorem reduci. Neque negari potest, Errore hoc Helmontium etiam seductum esse, uti confundi Præceptorum Spiritum vitæ flatusque profiteretur. Verum Huic nullibi *πνεύμα*, quantum observare licuit, est Flatus Corporis hostilis; sed vel Aër, vel Respiratio, vel denique Spiritus vitæ, unde consequenter nec interpretatio communis adæquata: Maximè, cum & ipsa *πνεύμα*, seu Fluxiones, *διὰ τὰς Φύσας*, à flatibus, libro d. Flatibus deducantur. Magis ergò Consentaneum videbitur vero, si secundum ante dicta & heic repetamus, *πνεύμα*, sive humor illud sit, sive flatus, esse occasionem, seu Materiam proximam morbi, omnis Motus nostri Authorem, Spiritum irritantem: *πνεύμα* esse ipsum Spiritum irritatum, in materiam insurgentem, proque hujus conditione variâ aliam atque alium morbum formantem.

XXII.

Sufficere hæc quidem possent, nisi pro adducenda unius hujus omnium morborum Efficientis sufficientiâ notabilis adhuc, cum apud Hippocratem, tum Helmontium præstò esset locus. Hippoc. *de Flat. IV. Morborum*, inquit, *omnium unus & idem modus est: Locus verò ipse differentiam facit. Quare videntur quidem morbi nihil simile habere, propter diversitatem saltem Locorum, cum sit tamen una morborum omnium & Species & Causa quoque eadem.*

XXIII.

Helmontius de Ignoto Hospites, s. *Luculenter*, asserit, constare debere, quòd omnis Morbus primariò & essentialiter respiciat sui efficientem Archeum. Hujus si te vox offendit; Naturam seu Spiritum substitue. Idem §. 83. In Archeo, inquit, omnis Morbus sibi stabilivis ac invenit hospitium unicum & immediatum. Et circa finem desiderat, cujus se discipulum indignum proficitur, penes quem Omnis ex equo morbus sua inveniat remedia; sub Vnitatis tono, cum Intuitiva Morborum ac Remediorum scientia.

XXIV.

Quod itaque Catarrhum hunc attinet, quem in præsentiarum tractandum suscepimus, cujusq; generali voce, quòd varias sub se species, Raucedinem, Tussim, imò totiùs penè Habitus contineat, contenti sumus, calidum dixeris; intellige, non ratione efficientis, quâcâ Calida prove-

provenerit qualitate : cum hæ qualitates non Continentes sint morborum [causa ; sed producta , occasione Humoris , magis minus acris Spiritumque vellicantis orta : qua ratione & Spina , in se frigida , digito infixæ , non Dolorem & Tumorem tantum excitat ; sed & Ardorem . Si tamen Materiam hinc calidam pronunciaris ; quod , ut Materia , ita & Effectus sit ; quo nomine Erysipelas calidum , Oedema frigidum existit : vel in hujus caliditatis originem inquisiveris ; scias , argumentationem hanc , à Materia ad Effectum , & ad Materiam ab Effectu , aliquando , non semper procedere , Instantiam modo Spina dedit . Et Febres Chronicæ , ut materiam agnoscant crassam , pituitosam , respectivè frigidam ; calorem tamen habent adjunctum , frigore longiorem . Iterum Hippoc. d. veter. med. XXX. §. negat febricitantes , (loquitur autem de ardentibus Febribus ,) propter calidum simpliciter febricitare , aut Hoc esse simpliciter afflictionis Causam ; sed esse & amarum ac calidum Idem ; & calidum & acidum , & salum ac calidum .

XXV.

Subscribens hisce Helmontius , Tract. quem introductionem diagnosticam inscribit . §. X. laudat Hippocratem : quod Morbos per hospitia & sapores distinxerit , atque utinam ! inquit , posteri hunc servassent tenorem : sed , æstrò velut afflatus Senex ille , futuros presagivit sequacis Scholæ ausus , monuitque præcisè , ne crederent Calores , Frigora , Humiditates , Acrimonias , vel Amaritudines esse Morbos ; sed ipsum Amarum , Acre , Salum , Ponticum , &c. At , coram surdis , velegregiè perforatis auribus hæc cecinit . Siquidem ante acta ab olim secula , in inquirendi ignaviam , & facilem credulitatem prona , arripuere Caliditatum & Frigiditatum scabiosa Theoremata , iisque subscribere , ob plausibilem facilitatem , suoque valedixere Magistro : qui morbos juxta diversoria dividendos rursus , Corpus nostrum in tres divisit classes : Continens solidum , sive Vas ipsum : Contentum , sive liquidum : & in Spiritum , quem dixit Impetum facientem . Qui nempe Gas æthereum ac vitale est , nobisque concitat omne Blas , in utrumlibet finem . Et paulò post : Utinam ! inquit , posteritas sua ingeniorum acumina juxta Senis illius mentem direxisset ! fortassis Causarum morbidarum intellectum , Dei permissu , hausisset ! Confer. ejus Tr. d. Ignoto Hospit. §. 56. 73.

C

XXVI.

XXVI.

Quod verò calor junctus sit Catarrhis ;' cruditatis Concoctio facit. Hac absolutà, cum calore, omnia lædentia cessant. *Conf. Hipp. c. l. Sect. XXX. & XXXIII.*

XXVII.

Hoc Fundamento præmissò, fuisse hunc Catarrhum Calidum; Antecedentia ejus & comitantia evincunt. Antecedentia *Catarrhi* fuerunt: Tempus Vernum; Somnus pomeridianus; Poculorum iteratus indultus; Refrigeratio Capitis, post incalescentiam denudati. Comitantia fuerunt: Appetitus prostratus; Tussis assidua, ferina, sicca, cruda; Sudor nocturnus multus; Raucedo; Horror febrilis; Capitis laterisque dolor. *Caliditatis* antecedentia fuerunt: Temperamentum sanguineum; denuò Poculorum indultus; Incalescentia, post exercitium militare. Comitantia: Pulsus; primò magnus, celer, inæqualis; post serratus. Facies continuo penè, cum Capite calida; Sitis immodica; Urina tenuis, subrubra. Et antecedentia quidem quod attinet; tantò ea magis in Catarrhi hujus productionem conspirasse videntur, quantò Singula seorsim satis eundem producere valent.

XXVIII.

De Somno meridiano notum est tritum illud Salernitanorum, dextreque intellectum, haud equidem à veritate alienum:

Febris, Pigrities, Capitis dolor, atq; Catarrhus,
Quòd tibi proveniant è Somnò meridiano,

Potationes & Exercitia quod attinet: non Crato tantum ex nimia vini ingurgitatione Catarrhos observavit *Conf. 122*; sed & Hippocrates I. *Epidem. III. Egrot. secundo*, Silenum introducit, ex Lassitudinibus & potationibus ac Exercitiis intempestivis Febre correptum & mortuum. Intempestivæ potationes sunt, quæ & extra bibendi tempus & ultra debitam quantitatem assumuntur. Bibendi tempus est: quod & Edendi, [Potus namque est ad Refrigerationem Coctionis.] *d. Nat. Puer. XXIV.* nisi vel extra hoc urgeat Sitis. Quantitas debita est: quæ urgentem sitim sedet. Quemadmodum verò optimum Sanitatis studium est, non satiari Cibis, & impigrum esse ad labores; *VI. Epidem. IV. 4. Cels. c. 2. p. 23.* Ita Quantitas hæc, si excedat, Spirandi difficultatem; *II. Prædictor. v. 1.* Si insuper meracior

racior sit & austerior; palpitationem in Corpore, vel pulsationem in Capite inducit. Hipp. *de Vict. Acut.* LXIX. 7.

Neque est in pota vera salute salus.

Quin Germanorum potius venit regula observanda:

Wiltu frey von Flüssen sein;

Halte mit den Güssen ein.

XXVIII.

Refrigerationem verò, post incalescentiam, haud parùm huc contribuisse, patet; quod ex frigiditate solà, sive humorem sive vaporem Sanguinis calefacti in fluorem cogente, Gravedinem, nullo alio accedente, Præceptor deducat. de vet. Med. XXXI. 18. De Vere est *aphorismus* 20, §. III. quòd eo maximè fiant, inter alia, Anginæ, Gravedines, Raucedines, Tusses. Neque enim Eo constans jam est tempestas; sed magnæ, Trigoris condensantis, & Caloris, Corpus resolventis, observantur mutationes. Et Quotusquisque nostrum vel ex Hypocausto circa Hyemis principium, vel Balneo aut Vaporario in frigidum subito delatus, Coryzà, Raucedine, Tussive, ex hac Aeris non corripitur mutatione?

XXX.

Sed hæc neque præsentis esse, neque præteriti Status Signa potuissent; nisi Symptomata comitantia adfuissent; quæ ex eodem Fonte derivata, sequentibus cape.

XXXI.

Et quidem Horror febrilis observatus: quòd ex coarctatione vasorũ ante Laxatorũ, & Condensatione vaporis imò Humoris cujusdam, ante attenuati, postque *ἀπορροή* nunquam in gratiam recipiendi, Natura turbata, in Expulsionem ejus, quod hostile apparebat, insurrexerit, proque hæc facilitanda, vires quasi sumptura, exteriora aliquatenus relinquens, interiora petierit. Hinc est, quòd eo tempore, pro majori minorive desertione Exteriorũ, frigus horrore sit observato; *vid. Hippocr. d. Flat. XI. 6.* Calorem postse trahens tanto intensiorem, quantò valentioris motus, [quem, vel hoc in casu, Pulsus magnus, celer, inæqualis demonstrat,] propulsione peregrinum suum hospitem fecit expeditum. Egregiè in hanc iterum sententiam Hippocr. *d. Flat. XII. 7.* *Quando, inquit, congregatus fuerit pluri-
mus sanguis; calefit rursus ipse Aer, qui antea sanguinem infrigida-
vit.*

C 2

vit. Nimirum, a calore multo victus accensusque ac velut igneus factus, per omne Corpus Calorem spargit, cooperante ei, in hoc etiam, ipso sanguine.

XXXII.

Utut verò circa universum corpus, in ejusmodi casibus, calor & Gravititas sint deprehensibiles; deprehenduntur tamen maximè, & deprehensi sunt in hoc Subjecto, circa Faciem & Caput: quòd Materia circa emunctoria sibi maximè apta, Oculos, Nares, Palatum, donec concocta sit, coarctata quasi stagnet. *d. Flat. XIII. 8. Sc.* Insuper Facies & Caput aeri magis exponantur, sicq; per Antiperistasin hæc præ cæteris partibus passiones sentire cogantur. Sed Lateris sinistri internus dolor simul fuit; quòd sinister Pulmo materiæ multum exceperit. Testantur de eo, præter Tussim, Capitis dolor & Gravititas, Sitis, Æstus, Biliosa Urina. *Cels. IV. 5. p. m. 191.* Unde tussis Ferina, quidem, ob materiæ magnâ acrimoniâ peccantis; Sicca tamen, ob minorem hæc hærentis quantitatem; Cruda, ob Coctionis defectum observata.

XXXIII.

Siccitatem tussis, madore suo compensavit Sudor nocturnus multus. Sudor fuit: quod materiam Naturæ vigor maximè in peripheriam ablegaret. Nocturnus: quod Corpore incalescente materiæque resolutâ, sub somno maximè, maximèque post noctis medium, fluxiones fiant. Sudorem verò ingens sunt comitata Sitis, tardiorque aliquando Alvus; quod calefactione partim, partim transpiratione consumpti Seri restitutionem Natura Siti affectaret: quâ, priusquam gauderet; quid miri, si & Alvus siccior substiterit? cum hac de causa alvum, vel baccis Caprarum per similem, post Galenum, *IV. acut. 17.* Avicenna observavit. *16. 3. Tract. 3. c. 16.* & aliàs Alvus vel in Anginis, vel ex infami Mercurii plus justa salivatione, item justo copiosiori Mictione, se ipsâ siccior evadat. *Helmont. d. Latices. §. 20. p. m. 304.* Appetitus prostratus, Oesophagi ventriculique, ab eadem materia, offensionem, & Spiritus, ad aliud magis urgens officium, avocationem significavit. Tam enim provida est Natura: ut rarò in principiis morborum Cibum appetat. Memor quasi Aphorismi: quò Corpora impura, quantò plus nutriuntur, tantò magis lædi dicuntur.

XXXIII.

Urina denique tenuis, subrubra, & subrubri sedimenti observata

vata. Tenuis: ob revulsionem Crassiorum particularum, aliò
per Sudorem simul propulsarum. Subrubra & quasi flammea: ob
præfatum Calorem. Sedimentum subrubrum: ob Coctionis imper-
fectionem, quâ cæteroquin perfecta, Sedimentum albescit.

XXXV.

Affectum hunc haud fuisse faciendum parvi; & Locus, flu-
xionem maximè recipiens, & Horror testantur. De loco quem Uni-
versum quidem Corpus, Maxime tamen Pulmonem Sectione XXXII.
innuimus fuisse, curatissime Celsus IX. 5. *Humor, si de Capite in Na-
res destillat, lene est: Si in Fauces, pejus: si in Pulmonem, pessimum.*
De Horrore Elegans est observatio Hippocratis *Coac. 12. Horrore
affecti, Caput dolentes atque exsudantes, malignum id est.* Et ite-
rum: *Horrore affecti, multum insuper exsudantes, difficili malo im-
plicantur.* Sed Spem tamen, Metu majorem, reliquerant Anni tem-
pus, Corpus ipsum, Symptomata.

XXXVI.

Tempus anni, cum esset Vernum, indies in Æstivum vergeñs,
promptius finitum iri morbum significabat; ac si, Hyeme ortus, *vid.*
III. aph. 23. Ver proximè subsequens habuisset. Corpus ipsum, neq; gra-
tile neque obesum, sed mediocre, ex eo prospera quævis prælagire
videbatur; quod, uti Obesi plerumque Acutis morbis & difficultate
Spirandi strangulantur, subitoque sæpè moriuntur; ita, teste Celso,
*II. 1. Graciles tantùm Tabes, Dejectiones, Destillationes, item Vi-
scerum & Laterum dolores fatigent.* Urina subrubra, & sedimenti
subrubri lavisque bona erat; quod ante septimum diem prodiret:
quæ, post septimum si prodiiisset; diuturnioris mali signum fuisse.
Coac. 575.

XXXVII.

Hâc itaque spe fretus, Curationem Bono cum Deo aggressu-
rus, nihil equidem, nisi à cibus Abstemiam, Animi quietem, &
Frictiones frequentes, cum Partium inferiorum, tum Pectoris & Ca-
pitis injunxissem; Optima siquidem, ejusmodi in Casibus, interdum
Medicina est, medicinâ non uti. Nec aliam nobis Medicinam Cel-
sus IV. 5. præscribit. Et experimur satis: quod, quo magis in ejus-
modi studeamus vacationibus; eò magis irriterentur Humores. Ratio
est, quod contra *V. aph. 21.* hâc methodo non ducatur Natura, quo
vergit; sed, quo nobis placet. Hippocratis Oraculum est; *d. veter.*
Medic. XXXI. 24. omnes Fluxiones, ob humorum acrimoniam & in-

temperantiam factas, restitui & curari; ubi temperatae fuerint, & on cocta.

XXXVIII.

Sed videbantur tamen Error in Dieta haecenus commissus, Cruditatesque, cum primae tum secundae Regionis, aliud svadere.

XXXIX.

Præmissis itaque Syrupo Emetico Salæ ad ℥vj, evocatoque pituitoso multo, omnia videbantur mitiora. Quibus tamen ulterius pabulum subtracturus, Medianâ secta, sanguinem demebam subnigricantem ad ℥vij. Hoc demto, Spes quidem Sanitatis pristinae affulgebat; nisi, potionum prorsus inconcinnarum pari, imprudentia Barbitonforis eam præpedivisset. Formulæ ad verbum ita habent:

I.

R. Decot. Cornu Cerv.

S. Paull. ℥ij.

Pectoral. ℥vj.

Sem. papaveri albi. ℥ss.

Spe. diatragant. Calid. ℥j

aq. Fenicul. ℥ij
Hyssop. à ℥ij

Coq. q. s. Claris. ℥ij
Syr. papaver. albi.

M. ad vit.

II.

R. Sem. Anis.

Fenic

Rad liquiri.

Irios Flo: aã ℥ij

Spec. Diair. sal

Diapenid a ℥ss

Man. Chri, perla ℥ss

Cinamõ. el. ℥ss

Sem. papaver. albi. ℥ss

Croc. ℥ss

vini ℥ss

Coqv. q. s. Claris ℥ij

per Hippoc.

F. Claretum

Syr. papaver. albi

aq. Fenicul

Cinamõ

M. det. ad vit.

XXXX.

Quot verba; tot vitia. Orthographica repetere pudet; quod & cuivis Tyronum facile obvia sint &, in homine omnis literaturæ experte, veniam mereri credantur. Sed rem ipsam quod attinet: Pro-
ducit in Formularum prima, & primo quidem loco, Compiler, D
coctu

coctum CC. Simonis & Pauli, cui fatius fuisset, ex Magni huius viri programma-
 mate, de officio Medicorum &c. Quadripartito eius p. 628. Inseto, didi-
 cisse, quid de hac Barbitonorum *πλυπραγωγώσιν* iudicent iudiciores:
 ubi simul incidenter præfatus Author formulam exhibet Chirurgi, muribus
 gliribusque magis necandis, quam Hominibus sanandis aptam. Ne tamen
 in hisce proluxior sim; sequentia saltem utriusque vitia Pharmaceutico-Me-
 dica noto. Prioris primum est; quod conjungenda, eademque lineâ po-
 nenda, velut distincta disjungat. ut *papav. alb. Diatrag. Calid.* Secundum:
 quod Decocto pectorali, novem jam speciebus constanti, jungat Papaver.,
 propulsionem dissipationemve materiæ Catorrhosæ indicatam non promo-
 vens; sed retardans. Tertium: quod Species diatrag. Calid, decem denuò
 speciebus seorsim præditas adjiciat: quarum ipsi Augustani Clafs. XI. p. m. 339-
 fatentur usum evuluisse; cum alia prostent jucundiora, eundemque effectum
 præstantia. Quartum: quod Aquas destillatas simpliciter Cocturæ submit-
 tat, quâ, quod habent Medicæ virtutis parum, magnam partem exhalat.
 Quintum: quod quantitatem apozematum longe ultra debitam extendat;
 cum, si vel circa papaveris albi & Specierum diatrag. cocturam ℥j liquoris
 exhalent; libræ adhuc tres supersint, corruptu faciles, ante totalem Sui
 consumptionem.

XLI.

Posterioris vitium primum est: quod Species Diatreos Salomonis præ-
 scribat, quas valde ingratas, hincque parum frequentes, maximè in Decocto
 esse, iterum Augustani fatentur. Secundum: quod iis, quindecim jam in-
 gredientia numerantibus, Diapenidion, sedecim speciebus, maximam par-
 tem facile rancescentibus constans, jungat. Tertiam: quod Iridem flo-
 rentin. Liquirit, Sem. papav. alb, insuper adjiciat, sub præfatis compositis
 jam satis comprehensa. Quartum: quod Manus Christi perlatas, Cinam.
 Croc, Vinumque Cocturæ subjiciat, quâ & magna Spiritus aromatici vino-
 sique copia exhalat; nec Margaritarum, sat carò solvendarum, in filtro ma-
 nentium, ullus maneat usu; pro Cinamomo denique, cocturâ dissipatò, jam
 Aqua eius veniat, Aromatis loco.

XLII.

Tentata ergò hæc male mixta, Recidiva sequebatur, ipso Morbo de-
 terior, summâ Cordis anxietate & Lypothymia comitata. Mortem dixisses
 Egroto instare. Revocatus Ego, gestorumque certior factus, felici cum
 successu propinabam misturam ex aquâ Carduiben. ℥ij CC. præpar. ℥ii.
 Pulv. Bezoard. Sennert. ℥i. Lapid. Bezoard. gr. vii. Syr flor Tunica ℥j. Ne-
 que hæc deprehensa Anxietas ad noctem ingravesceret; præservativi loco

roga-

rogatus præscribebam aliam Diaphoretico Cordialem ex Aqv. Ros. Scabios.
Acetos. aa. ℥iij Carbunc. unc. i. Cinanom. Apoplect. aa. unc. ℥. Pulv. Bezoard.
Sennert. ℥ii. Marchionis ℥℥. Margarit. præpar. ℥i. Man. Christ. perlat,
Julep. rosat. aa. ℥i ad Cochlearia duo subinde sumendam.

XLIII.

Lateris sub tussi dolor posthæc, & Ventriculi debilitas, saltem instare
videbantur. Et occurrebatur, Illi quidem, cum internè tum externè.
Internè: Decocto pectorali, Syrupò de Hysso & Liquiritiâ edul-
coratò. Externè, ol. viol. amygdal. dulc. aa. uncs℥. Mucilag. Sem. lin. Cum
aqv. Ros. confectâ ℥ij & ceræ albæ pauxillo, in consistentiam lini-
menti redactis. Stomachicis tandem ventriculo applicatis
succedebat

OPTATUS CURÆ, TIBI LAVS ALTISSIME!
F I N I S.



CLARISSIMO


DN. DOCTORANDO, Amico suo
singulari,

Optime PRÆTORI, multos mihi note per annos,
Germanâq; satis sæpè probate fide;
Nunc Te DOCTORUM nitidæ conjungere turbæ
Et supra vulgus scandere, cura tenet.
Laudo conatus, & summos grator honores,
Quos dudum Virtus Ingeniumque merent.
Faxit JOVA potens, cui sunt Medicamina curæ,
Quo sine Dictamnus nec Panacæa juvat:
PRÆTORI sertum non marcescente virescat
Germinè, & ornatu pullulet usque novo.

Sinceri Amoris & Honoris ergò L. M. Q.

exedraoz

Johannes Neufantz /
Med. Doct.



gia pro se Testimonia ha
ac Philosophiæ; hinc in Alm
quennium vixit, Medicinæ
ratoribus DNO. BECKERO
PNERO, WOSEGINO,
nere fulgidissimis, Præside
Commilitone quondam nostr
DAGRAÆtiam Disputationem
applausu defendit. Sed trah
Daniam, singularis Virorum C
MÆ BARTHOLINI, SIM
BORRICHII, eaque nunqu
quo biennium, & quod excurr
pelliceretur. Hoc elapso, sa
niebant, post Novellam, quæ
Universitatem, Celebriora Sve
tis, Helsingoræ ad Praxin aliqu
modabatur, donec ante quadri
ret, pro meritum dudum labor
mam Artis Lauream capeffurus
se exhibuit, cui Publici Exami
concederetur. Hoc sine exhib
Casum de Catarrho, materiâ v
elaboratum, ad diem XVI. Dec
in Auditorio Maximo, publicâ
dendum. Eam itaq; honorificâ suâ
lustriorem, Magnificum Dn. Rect
um Facultatum Professores, D
Cultores, officiosè pariter
invitamus, rogat

Publ. sub Sigillo F:
d. 7. Decembr. L



etiam simplici Obstetricum voce vocati
tamen eas Obstetricum tantum mun
nobis monitum est, & extra Gynecæa,

*Percurrit agili Corpus Tractat
Manumq; Doctam spargit omnibu*

Ipsis in Sacris Amorem quidem; sed & M
bus; familiarem, testata est tam, quæ
flens Mala, Unguento pretioso Serva
vum; quàm, quæ Mortuum Maria des
dum. *Matth. XXVI. 7. XXVIII. 1.* Quic
ungendo quasi dicenda, inque curam
umq; nata Uxor, aliave de Familiæ Sal
ter, donec aliud sit à Medico docta, in p
quibus Sibi, Marito, Liberis, Universa
possit. Illas culpamus, cumque illi
Sexus omnes, quic neglectis Morbi Ca
Tempore, clanculum Curationibus n
immiscentes carpunt, quæ non capi
que Medici Consilio, Medicum decipi
Hisque, tenuitatem suam & egestatem
muniter objicientibus, largam sæpè p
gunt. Restabant, quæ proferri alia in ren
sent, quorumq; gratiâ dicta modò addu
litate Medicastrosum plenius démon
sentiarum proferenda: sed Spatio præ
nem intercepti, ulteriori ea reservamus
minatus in Frontispicio DN. JOANNE
Pereximius planè Medicinæ Candidat
Parentibus, Patre JOANNE PRÆTORI
stenoviæ, in Ditione Osnabrugensi, sole
ANNA SCHLEDEN, Fœmina F
decore ornatissimâ, nat9, diversis in loc

tum *Aleat. Pby*
alibi *sol. p. 66.*
lin. 24.
Marial.
III. Epigr.
80.
Maria
de Magda
VI. lena
lien. avage.
el ab Grandia
qui Mala mea.
Ma
beat,
mui
ciam
one,
le se
sito
tos;
om
nun
pos
Furi
præ
atio
No
IUS,
simis
Fur
atre,
tutis
egre
gia.

